

Apagete fictitias istas ineptias, hasce aniles Gentilium fabulas: nos cantabimus cum *Archangelis*, exultabimus cum *Angelorum choris*, latabimur cum *dominationibus & thronis*; psallemus cum *omnibus Christianis*. Celebremus tandem *solenniter & reverenter*, ut digna tanto profemur mysterio, ut sermonem *ordiamur* Prophetarum *ἑσπεύουσιν* *filio*, *pertexamus* Evangelistarum & Apostolorum *radio*, *decurramus* orthodoxorum Doctorum *jugo*, expingamus *ὕψιστης* analogiæ *stylo* atque *penicillo*. Atq; hic est nostri hujus *actus* Oratorij *Nataliij vigesimi septimi*, nostrorumq; *Declamatorum* scopus

Nempe P A U L L U S Gnaugf ex vicinâ Episcopipoli *stylo prosaico* intimabit ingentem beneficij ex Nativitate Messiaë profluentis *utilitatem atq; commodum*: CHRISTIANUS Rittel ex propiori Elystraviâ aliquot fundamentis probabit in *Protevangelio Mosaico* vocem SEMINIS, non de multis in genere seu specie sed, de *uno individuo* primitus intellectum fuisse & adhuc intelligendum venire; deniq; M A R T I N U S Hoene Cüstrinensis ex Brandenburgensi Marchiâ *carminibus quatuor linguarum* totum Actum concludet. Extranei quidem sunt, *Gratiosissimi Patroni*, uti percipitis, sed tamen *scholæ Vestrae alumni*, *religionis nostræ socij*, & omnes tres *chori Symphoniaci membra*, posteriores duo eidem *præfecti*, medius quoque *cantui choralî* (uti cum pijs majoribus congruè loquimur) *in communionem Ecclesiæ præcentor*, quod juxtâ mecum nōstis. Scio, quia ita confido, dicturos, *Æquum est & hosce homines audiri atq; excitari, ut olim & spei & rei suæ auspici-um nobis debuisse ingenuè fateantur*: multi enim hæctenus fassi sunt. Immanuel sit nobis omnibus Immanuel, hoc est,

*Deus nobiscum & cum liberis nostris, Amen!* P. P. Budissæ Lusat.

in ferijs Christi Genethliacis anni recuperatæ salutis MDC LXX.